



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, 1709**

I. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Eberhardus Comes, libentissime concedebat, quæcunque Mariæ nomine à se petebantur. Nec minus liberalem is in se Virginem est expertus, visus enim est post mortem cœlesti nectare recreari, & in sinu Deiparæ foveri. *Nad.* Qui Mariam vult experiri Matrem, prius Filius esse conetur.

S. Eberharde per tenerum & filialem illum, quo in Mariam ferebaris, affectum te rogo, mei nunc memineris, ut inter ultimas Mortis angustias, ubi siccabuntur labra, à Maria refocillari merear, sicut tu visus es ab illa cœlesti nectare potari. Gustus posthac meus, & omnis delectatio in cœlis erit. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies milles, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum, pridiano crastinum festum jejuniis præveniam.

Dedit te Deus, ô Virgo! hominibus & naturæ nostræ in reparationem, inferiori creaturæ in liberationem, sibi in Matrem, dæmonibus in hostem, detentis in limbo in reparationem. *B. Petr. Dam. ser. de Ann.*

Quæstio: An Joseph Deiparam fuerit comitatus ad Elisabetham. *v. Barrad. l. 8. c. 5.*

O Sanctissima DEI; & mea, Mater pretiosissima / ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quam animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimū vitæ spiritum, quantum possibile erit: placere & servire desidero. Hoc unum per pretiosissimum JESU Filii sui sanguinem, per Immaculatam Conceptionem tuam, & per hodiernorum, ac omnium Sanctorum cultui tuo addictorum amorem suppliciter rogo, ut me, non obstante peccatorum meorū mole, in filiū assumere, hodie in omnibus actionibus regere, ac ab omni peccato immunitatem impetrare digneris. Tibi corpus & animam, omnia diei hujus verba, cogitationes & opera dimissimè offero, tu ea Filii tui, tuis, & omnium SS. meritis unita æterno Patri præsentata, ut per ea, ac tuam ô clemens, ô pia, ô dulcis Mater intercessionem felicem ex hac vita exitum & beatam æternitatē merear obtinere.

Hoc idem mihi impetrare: Virginee SS. Virginis Sponse S. Joseph; S. Joachim, S. Anna, & quotquot aliquā cum JESU & MARIA cognatione conjuncti estis.

Omnes Sancti specialiter à Dei Matre dilecti, Vósque imprimis quibus hodie mortuis opem illa tulit, omnesque Sancti illius diei, quæ mihi agonizanti ultima erit.

II. JU.

Joan  
Ioan  
Iaco  
Iaco  
Sim.  
Jud.  
Sim.  
elisa  
Mar  
Cleo  
Mar  
Salo